

# PRAEFATIO

---

## I. DE GESTORVM PRIMAE ACTIONIS CODICIBVS

Totum Gestorum Chalcedonensium corpus extat in duobus codicibus antiquis, Veneto 555 s. xi et Vindobonensi hist. gr. 27 s. xii, de quibus egi in *Abhandl. d. Bayer. Akad. d. Wiss.* xxxii 2 p. 8 sq. inde ea repeto quae hanc uoluminis i partem primam legentibus necessaria sunt, plura et accuratiora in praefationibus alterius et tertiae partis dicturus.

Codex Venetus 555 [= M] pulcerrime scriptus est; initia eorum quae siue imperii potestates siue secretarii siue episcopi dicunt, litteris maiusculis distinguuntur. ω et ο, η et ει et ι saepe confunduntur. aut ipse scriba aut eiusdem aetatis corrector et uitia leuia emendauit et lectiones ex alio codice petitas intulit, sicut in codicibus illius aetatis moris erat. a. 1446 cum codex adhuc in monasterio Studii Constantinopolitano esset, inde descripta est prima et ultima pars codicis Vaticani 831; illa continet epistularum Collectionem M atque tres primas actiones cum Collectionis epistularum B parte priore, haec ultimam portionem appendicis quae Gestis adnexa est. ex hoc codice descriptus est in usum Antonii Augustini episcopi Tarragonensis codex qui nunc est Vaticanus 1178; eum uiri docti quibus Paulus papa v munus conciliorum acta edendi tribuit, typothetis tradiderunt. alter ex M descriptus est codex Venetus 164. neque huius neque Vaticanorum illorum in actione prima ullus est usus.

Codicem Vindobonensem hist. gr. 27, qui fere saeculo minor est quam Venetus M, Constantinopoli emit Augerius de Busbecke Maximiliani ii imperatoris legatus apud Turcos et in bibliothecam Caesaream transtulit. orthographiam melius nouerat librarius illo qui Venetum M scrispsit; correcturae antiquae raro inueniuntur. ex eo deriuati sunt codices s. xvi Basil. iii A ro et Ottobonianus 29, neuter ullius pretii.

His duobus antiquis codicibus qui nihil nisi Gesta Chalcedonensia epistularumque collectiones quae ab antiquo tempore cum illis conexae erant, sed haec tota et praeter paucissima continent integra, accedunt duo codices corporis canonici xiv titulorum, ubi canonicae materiae Collectionis epistularum M forma quaedam singularis et actionis primae pars plus quam dimidia adiungitur. quorum alter nitide et diligenter s. xiii in membranis scriptus s. xv ex Oriente in Italiam migravit, ni fallor, a Graeculo quodam possessus, qui secundum morem saeculi illius codice membranaceo et antiquo transscribendo uitae necessitates nisi merebat omnes, tamen mitigabat. Venetiae Bessarioni cardinali codex ipse non uenum iit, sed exemplum accurate confectum, quod sicut ceteri Bessarionis libri manuscripti Graeci, in bibliothecam S. Marci transiit ibique numero 165 [= p] signatum est. quod feliciter accidit; nam postea multa et grauia damna codex antiquus perpessus est. compage soluta et magna quaternionum parte amissa Diuiodunum peruenit ad Philibertum de la Mare